



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1460. usque ad annum 1478

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118332

§. 154. Conventus Aurelianensis ad terrorem Pontificis celebratus

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66459](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66459)

ret, adjectis etiam minis palam declararet, quod Rex se Pontificis obedientiæ subtrahere, moxque ab illius sententia provocare velit ad Concilium, atque ad illud etiam Venetos & Mediolanensem Ducem convocaturus esset; præterea cunctis, qui beneficia ecclesiastica in Galliis habebant, præcepit, ut ad ea protinus redirent, nisi redditibus eorum privari velint.

§. CLIV.

Conventus Aurelianensis ad terrorem Pontificis celebratus.

Verum Aureliæ nil præterea in eo conventu actum est, præterquam quod aliquæ disputationes habitæ sint de integranda Pragmatica Sanctione, & de pecuniis haud amplius Romam exportandis: nec tamen ulla facta est harum rerum decisio, sed totum negotium ad alium Conventum Lugduni celebrandum remissum fuit; nunquam tamen ejusmodi concilium celebratum legimus, eo quod Rex in ejusmodi artibus satis fecundus hunc conventum eo duntaxat sine habuerit, ut Florentinorum gratiam aucuparetur, & Pontifici metum incuteret. Mense tamen Augusto editum est decretum, quo Rex graviter querebatur de severitate, qua Pontificem non sine gravi populi offensione a Florentinis poenas exegisse

sæcul. XV;
A.C. 1478.

Bochsl. in
decret. eccl.
Gallic. l. 4.
tit. 42. c. 8.

Sæcul. XV. egisse aiebat, ac insuper Papam accusabat, quod propter *expectativas* beneficiorum gratias, aliasque res, quas Rex *illita* vocabat *commercia*, Franciæ Regnum immodicis sumptibus oneraret, pluresque alios iniquos abusus introduceret. Denique severe prohibuit, nequis suorum subditorum pro beneficiis quocumque modo impetrandis Romam ire, aut pecunias eo mittere præsumeret.

§. CLV.

Cardinalis Papiensis iudicium de Legatione Regis ad Papam.

*Papiens.
epist. 677.*

Postquam Papiensis Cardinalis de Legatione, quam Galliarum Rex ad Pontificem decreverat, certior factus erat, die decima sexta Julii ad Sixtum IV. epistolam perscripsit, in qua eidem hac super re mentem suam aperuit, dixitque: *Angustiarum meo iudicio plena est responsio; si enim postulata Regis respicimus, sine mora illi minas implebunt, inque tumultum adducent Ecclesiam, & periculum est, ne in idem Regis Ludovici exemplum complures inducant: si vero illis consentimus, si nondum siccato atramento tam late vulgata decreta propter metum delemus, quid ignominiosius, & morti acerbæ similis? Plagam majorem infligere rebus Romanis Sacæditas vestra non posset, nec Apostolica virga ad*
con-